

I N S V L A S A C R A E T F A R N E.

IN mari autem Germanico, qua Britanniam alluit, admodum raræ comparent insulæ, nisi quæ sunt in freto Edenburgensi, May scilicet, Basse, Keth, & Inche Colme. i. *Columba Insula*. In Northumbriæ litore, Lindi fluvio una objecta

est *Lindis-farne*, Britannis *Inis Medicante*, quæ ut Bedam audias, *accedente, & recedente rheumate, id est, astu, bis quotidie instar insule maris circumluitur undis, bis renudato litore contigua terra redditur*. Vnde ille *Semi-insulam* appositè vocavit. Pars occidua angustior & cuniculis relicta, isthmo admodum tenui orientali connectitur, quæ multo latior, qua Meridiem spectat, oppidulum habet cum Ecclesia, & in eo castrum, ubi olim sedes fuerat Episcopalis quam Aidanus Scotus evocatus ad fidem Christianam Nordanhumbriæ annunciamdam instituit, loci solitudine & recessu delectatus; federuntque ibi undecim Episcopi. Postea autem irruentibus Danis sedes Dunelmum translata fuit. Sub oppido portus subest non incommodus, quem propugnaculum in colle ad Euro-astrum positum tuetur.

Hæc ob sanctorum monachorum habitationem *Holy Iland* Anglis vocatur. De qua Alcuinus in epistola ad Egelredum Northumbriæ Regem: *Locus omnibus in Britannia venerabilior, Paganis gentibus datur ad deprædandum, & ubi primum post discessum S. Paulini ab Eboraco Christiana religio in nostra gente sumpsit exordium, ibi miseria & calamitatis sumpsit initium*. Ad septimum hinc milliæ Euro-astrum versus *Farn* insula conspicitur, à *Banborrow* castro duobus fere milliariis distita, altissimo inclusa Oceano, & cautium corona incincta, quæ suum habet fere in medio munimentum. Eò loci (ut perhibent) ubi Episcopus *Lindisfarnensis* Cuthbertus ille Divus tutelaris Borealiū Anglorum, ut Deo vacaret, *condidit* (ut inquit in ejus vita Beda) *civitatem suo aptam imperio, & domos in hac civitate congruas erexit*. Erat enim *edificium situ penè rotundum, à muro usque ad murum mensura quatuor, vel quinque perticarum distentum*. Murus ipse de foris altior longitudine stantis hominis: nam intrinsecus immanem cadendo rupem multo illum fecit altiorem, quatenus ad cohibendam oculorum, sive cogitationum lasciviam sufficeret, ad erigendam in superna desideria totam mentis intentionem pius incola nihil de sua mansione præter cælum posset intueri. Quem videlicet murum non de secto lapide, vel latere, vel cemento; sed impolitus prorsus lapidibus, & cespite, quem de medio loci fodiendo tulerat, composuit. E quibus quidam tanta erant granditatis, ut vix à quatuor viris videantur potuisse levari. Duas in mansione habebat domos, Oratorium scilicet, & aliud ad communes

usus habitaculum. Quorum parietes de naturali terra multum intus forisque circumfodiendo, sive cadendo confecit. Culmina verò de lignis informibus & feno superposuit. Porro ad portum insule major erat domus, in qua visitantes eum fratres suscipi & quiescere possent, nec longè ab ea fons eorundem usibus accommodus. Huic adjunguntur minores aliæ ad Septentriones insulæ, *VVidopens, Staple Iland*, quæ duobus abest milliariis, *Bronsmen*, & his minores duæ quas *VVambes* nominant.

Post has, *Coquedi* insula vulgo *Coquet*, *Coquedi* fluminis ostio præjacet carbone fossili satis fecunda. Nec plures hoc tractu eminent insulæ, sed è regione, *Saxonum insule*, nunc *Heilicklant*, id est, *Insula sacra*, & multa perpetua quasi serie Frisiæ Orientali & Occidentali prætexuntur, inter quas Romanis armis notissima erat, quæ Straboni *BIRCHANIS*, Plinio *BVRCHANA*, & *FABARIA* Romanis, à frugis similitudine sponte provenientis, quam (ut obiter restitutam, quamvis ad institutum non spectet) *Borkun* esse Amesiæ ostio objectam, nomen ipsum loquitur.

Inferius ad Hollandiæ littus qua Rhenus se olim exoneravit, fluctibus obteguntur *Armentarii* antiquissimi fundamenta, quæ rarius Oceani inundatione nudata, admirandum venerandæ antiquitatis spectaculum, & nobilissimam substructionis formam exhibent, quam elegantissimis typis *Abrah. Ortelius* veteris Geographiæ instaurator, & amicus mihi conjunctissimus ex ipso Oceano vindicavit. Hujus libentius meminerim, quod *Hollandi & Huys te Britten*, id est, *domum Britannicam* indigitant, ut saltem nomine sit Britannica. Ut enim in confesso est *C. Caligulam* cum Britanniam cogitaret in ludicra illa expeditione, pro pharo construxisse; ita *Septimium Severum* vetustate collapsam restituisse antiqua inscriptio ibi effusa testatur. Vnde tamen *Britten* dicta fuerit, in conjectura positum. A Britannis, ut nomen fortiatur, probabile est, *Brettam* enim *Philip. Melanchthonis* patriam à Britannis denominari ipse credit, & *Montes* in *Hannonia Breten* à Britannis dictos fuisse alibi legimus. Veruntamen, ut cum Plinio loquar, cum ille *Britannica herba*, quæ *Bataviæ* peculiaris, nomen miretur, nisi fortè confines Oceano Britannia propinquæ dicaverint: sic ego, cur hæc arx, *Britannica* diceretur, demiror, nisi nostræ Britannia oppositæ *Batavi* consecrarint. Locum in *Morinis Portum Morinorum Britannicum* vocat Plinius, vel quod inde in Britanniam trajicerent, vel quod ex adverso prospiceret. Quid igitur impedit, quominus hæc arx eadem ratione Britannica appellaretur? Huc enim Britannos sæpe appulsi-

In vita S. Cuthberti.

Holy Iland.

Farne Ile.

Beda in vita Cuthberti.

Saxonum insulæ.

Birchanis. Lib. 7.

Borkun.

Armentarii Britannicum in Hollandiæ litore.

Britten huys.

Portus Morinorum Britannicus. Chamavi juxta coluerunt ex Eunapii legationibus.